



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

30. An Confessarius sit denunciandus, si sollicitauit ad actum tantum
venialiter peccaminosum? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. res. 46. alias 44.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

etiam recte contra Freitam & alios Doctores citatos negat in peccato luxurie dari parvitatem materiæ, ut ego etiam alibi docui, & novissime docet Homobonus in *consult. conf. confitent. vol. 2. part. 5. respons. 139.* Et ita tales Confessarios, ut dictum est, esse denuntiationum, & in *summa Bullarum, tit. de sollicitat. in confess. n. 4.* signanter ibi in *Ref. 21.*

RESOL. XXIX.

An in sollicitatione facta in confessione, & prohibita in Bullis Pontificis detur parvitas materiæ? Ex p. 5. tr. 5. Refol. 9.

Negativam sententiam contra Castum Palium, Portel. & Soufam docui cum multis Doctores in 4. part. tract. 5. refol. 5. quibus nunc addo Bossum de *lubrica in appen. de Confess. sollicit. dub. 18. num. 5.* & amicissimum Trimatki in eodem tract. *disput. 2. sect. 7. num. 44.* Primò, quia nulla danda est parvitas materiæ in peccato luxurie. Secundò, quia dato, & non concessio, quod aliqua sollicitatio in genere luxurie esset levis, tamen gravitatem, & atrocitatem recipit ex loco, tempore, causa, persona & qualitate, & ideo culpa, quæ in pagano, seu rustico erit nulla, aut levis, in milite erit gravis, & ex Theologis asserentibus verba injuriosa continentia parvam injuriam, vel levem contemptum, quæ prolata in alium essent tantum culpa venialis, prolata in patrem carnalem, vel spiritalem, seu Superiorem Prælatum, esse mortale peccatum ratione personæ. Sic ergo Confessarius, qui tali loco, scilicet Confessionario, & tali tempore, nempe dum administrat Pœnitentiæ sacramentum, miscet tactus, gestus, sermones illos impudicos, aliàs leves, peccat mortaliter ratione sanctitatis Sacramenti, cui detrahitur per prædictos actus impudicos. Sacramenta enim sancta sanctè administranda sunt, ex Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reform. non verò injuriose & scurriliter, & cum scandalo, vel aversione fidelium, ab ejusdem Sacramenti usu, & consequenter comprehenditur in dictis constitutionibus, præsertim, quia in foro externo ad incurrendam poenam, damnandamque personam tanquam lascivam prædicti actus, gestus & sermones impudici præsumuntur peccata mortalia, ergo, &c.*

RESOL. XXX.

An Confessarius sit denunciandus, si sollicitavit ad actum tantum venialiter peccaminosum? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 46. aliàs 44.

Prima opinio negat, & ita præter Portel. alibi à me adductum, tenet novissime Ignatius Lupus de *Edicto S. Inquis. part. 1. lib. 5. dist. 2. artic. 1. diffinit. 3. Ref. 21. §. 3.* Gaspar Hurtadus de *Justit. tract. de Iudicio Forensi* primo, *se. disput. 2. diffinit. 7.* Antonius Soufa, in *Aphorismis, lib. 1. & melius in cap. 33. num. 4. & Opusc. de sollicit. tractat. 1. cap. 1. n. 7. §. ult.* Tum quia poena sollicitantibus imposita gravis est, nec pro levi delicto imponenda, c. non cogantur 41. *dist. 91. num. 55.* Tum, quia suspicio hæresis ex peccato veniali præsumi non potest, sicut nec grave quid ex levi deduci: Tum etiam, quia nec Sacrilegium oritur ex veniali actu, ut cum communi probat Thomas Sanchez, de *matrim. lib. 9. disput. 15. num. 21.* Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 3. cap. 7. num. 11.* Bonacina de *matrim. quest. 4. punct. ultim. num. 8.* Tum denique, quia etiam excommunicationis poena imponatur à jure

incerto actu, intelligi debet de eo, qui lethale constituit peccatum; nec aliter ad denunciandum obligatur. Et novissime hanc sententiam docet Ioseph de Lauerio, de *cas. refer. refol. 56.* per totam.

2. Secunda opinio distinguit, quam novissime docet me citato Inquisitor Escobar à Corro, de *Confess. Sollicit. part. 1. quest. 3. §. 2. num. 10.* ubi sic ait: Ego constituo discrimen per accidens inter jus externum, & internum; quia cum in Foro animæ nihil plus inquiratur, nisi veritas actualis, nec præsumptione nitatur, ubi verum agnoscitur ex mente ipsius peccatoris, quod deficit in externo Foro, quo delicta imposita manerent, si assertio delinquentis fidem efficeret. Covarruvias de *Sponsalibus 1. part. cap. 4. §. 1. num. 4.* Pater Thomas Sanchez in *Decal. lib. 4. cap. 15. numer. 37.* Parladorus in *Sesquicenturia, differ. 12. num. 1.* Martinus Bonacina 1. *tom. de legibus, disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 3. num. 10.* & de *restitut. disp. 3. quest. fin. punct. ult. num. 3.* Si certò mens Confessarii aliena fuerit à fine mortali, dum miscuit tactus, aut verba venerea; non aderit quoad forum animæ lethale peccatum, sed veniale tantum, & tunc fateor non esse denunciandum similem Confessionarium (loquor in fortioribus terminis laxioris opinionis, quæ tenet tactus, & oscula veniale tantum efficere peccatum, quam infectus rejicimus,) in exteriori quidem Foro, quia præsumptione nititur, & ex tactibus, & verbis venere sine præsumit morale, copulam nempe, aliud dicendum est, & si tactuum, & obscenorum verborum sufficiens sit probatio, puniendum esse a seculo tanquam verum sollicitatorem; ut ex relatis supra aperte constat, & considerat Salas 1. 2. *quest. 74. tractatu 13. disputatio 6. sect. 20. num. 144.* ad hoc adductus à Freitas ad Acugniam, in *diol. quest. 7. num. 31.* atque ita evenire potest, quod sollicitatio locum habeat in peccato veniali, quia jure externo adest prædicta præsumptio peccati mortalis, quæ in interiori deficit, & bene procedit distinctio Castri Palai *Opusc. Moral. tract. 2. disp. 3. punct. 3. num. 3.* aientis, quod si constat Confessionarium noluisse ad ulteriora procedere, nempe ad perficiendam copulam, non esse denunciandum; aliud enim esse, si diversum confiter, aut res mere dubia maneat, quia tunc sequenda est juris præsumptio, tam ad denunciandum, quam ad puniendum similem Confessionarium. Hocque Escobar.

3. Sed ego puto proflus non esse recedendum à sententia affirmativa, quam olim docui, & quam postea me citato docuerunt Novarius in *Summa Bull. tom. 1. tit. de Sollicit. in Confess. num. 4.* & me citato Trullench. in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 41.* & 42. & me citato Leandrus de *Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 13. quest. 1. 2.* & me citato Alphonsus de Leone de *cenfur. recoll. et. 4. verb. Sollicitantes, folio 334.* & ratio est, quia longe multo probabilius, præfatos actus licet in se leves, exercitos tamen tempore ministrandi Sacramenti esse mortales, & damnandos ob gravem injuriam illatam Sacramento. Hinc quamvis juxta opinionem Navarri in *Summa, cap. 14. num. 31.* & Sancij *lib. 9. de Matrimonio, disputat. 46. num. 16.* & Salas 1. 2. *questione 74. tractatu 13. disputatio 6. sect. 20. num. 146.* & *sect. 21. numero 189.* & Freitas in *Additionibus ad Acugniam, quest. 7. num. 18.* peccatum veniale sit mamillis scemine tangere, brachium, vel pedem premere, aut digitos intorquere ob parvitatem materiæ, dummodo absit finis mortalis, & periculum pollutionis; (quamvis hæc doctrina horum Doctorum omnino probabilis sit, & rejicienda,) tamen, si hæc fiant tempore confessionis, vel immediate ante, vel post, mortalia erunt ob gravem injuriam illatam Sacramento, ut optime animadvertunt Freitas *questione 8. numero 33.* & Ioannes Sanchez *disputatio*

Ex Edicto DD. Inquisit. & c. Ref. XXXI. & c. 391

Sp. uti. 11. numero 22. quia quamvis intra genus castitatis, juxta illorum opinionem levia illa sint; tamen intra Religionis genus, grave peccatum lethale est: sic in die Ieiunij patum cibi sumere, leve peccatum, ac veniale tantum est: nihilominus intra Religionis genus illo sumpto ad Sacramentum Eucharistiae accedere grave peccatum est. Et hæc omnia docet etiam Fagundez *præcep. 1. Eccl. lib. 4. cap. 3. n. 52.*

RESOL. XXXI.

An famina sollicita, si non denunciavit, & tamen Confessarius ex aliarum delatione confessus, vel convictus puniri sit, teneatur adhuc denunciare? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 49.

§. 1. Probabiliter cum multis negativam sententiam docui in *part. 1. tr. 4. de denunciat. ref. 36.* Sed nota quod hæc sententia defendi potest, quando Confessarius fuit confessus, aut plenè convictus: & in primo casu ego illam tenui, ut patet ex titulo dictæ resolutionis. Secus autem dicendum est, si Confessarius sit absolutus, aut non plenè punitus ex defectu probationis, nam in tali casu adest obligatio denunciandi, quia promotor fiscalis S. Officij habet jam jus acquisitum ad procedendum contra Confessarium, quod non cessat per illam sententiam, sed nova adveniente probatione denuo reperitur causa, cum sit de re pertinente ad fidem, non enim in rem judicatam transeunt hujusmodi sententiæ: cum ergo hoc ita sit, non videtur cessare obligatio denunciandi, cum adhuc extet censura Inquisitorum, quæ in favorem causarum fidei posita est: unde quia non semper constat reum esse sufficienter punitum, regulariter denunciandus est. Et hæc omnia docet Soula *opuscul. de Confess. sollicit. tract. 2. capite 20. numero 12.*

2. Verum his non obstantibus Seraphinus Freitas *in addit. novis, ad tract. de Confess. sollicit. quæst. 3. n. 54.* adversus Soulam negativam sententiam tenet, etiam si Confessarius fuerit absolutus, aut non plenè convictus; unde in tali casu non obligat penitentem ad denunciandum, quia etiam præsumitur emendatus; ergo, ait ille, non erit denunciandus.

3. Non desinam tamen hic adnotare Bonacinam *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 15.* distinguere circa præsentem questionem, sic enim ait, Vel Confessarius confessus, seu convictus fuit de sollicitatione illius penitentis, qui nondum denunciavit; vel confessus, seu convictus fuit tantummodo de sollicitatione alterius: si confessus, vel convictus fuit de sollicitatione illius penitentis, probabile est penitentem non teneri ad denunciandum Confessarium, qui jam abjuravit illud delictum, quia iudicium bis exerceri non solet in idipsum, & res semel iudicata & punita, regulariter loquendo, in iudicium revocari non solet, ut iterum puniatur. Si verò Confessarius confessus, vel convictus tantummodo fuit de provocatione altæ penitentis, censetur penitentem adhuc teneri ad denunciandum, etiam si Confessarius semel abjuravit. Ratio est, tum quia sic non censetur sufficienter punitus, cum graviores penas pro pluribus delictis, quam pro uno rependere debeat, tum quia absolutus, vel condemnatus in causa hæresis accedente nova probatione iterum puniri, aut condemnari debet: ergo etiam in casu nostro accedente nova denunciatione puniri debet, consequenter penitens tenetur præfatum Confessarium denunciare. Ita Bonacina. Sed Freitas stando in suo principio semper dicit, quod pro qualibet abjuratone, Confessarius censetur emenda-

tus; ergo non erit denunciandus. Et hæc asserunt Doctores circa præsentem questionem. Sed sententiam Bonacinæ ego sequor.

RESOL. XXXII.

An sint denunciandi Confessarii sollicitantes, qui de talibus delictis non sint infamati?
Et an in crimine hæresis possit fieri inquisitio, licet contra reum nulla præcedat infamatio? Ex part. 4. tract. 5. Ref. 1.

§. 1. Circa materiam hujus tractatus de Confessariis sollicitantibus, multas questiones explanavi in *par. 1. tract. 4. a resol. 11.* sed quia enixè à multis rogatus fui, etiam per litteras, ut alia, si haberem, in lucem emitterem, ut eorum precibus satisfacerem, sequentia simul collegi; & ideo ad dubium præsentis resolutionis videtur negativè respondendum ex verbis appositis in Bullis Pontificiis, ibi, *quomodolibet diffamatos*, quibus apparet non posse Inquisitores se intro-mittere in hoc crimine, si non adsit infamia, cum constitutio pœnalis non sit extendenda ultra verborum latitudinem, ex *reg. odia, de reg. juris in 6. & ex l. cum quidam, ff. de liberis & posthumis*, & ideo Stephanus Fagundez de *præcep. Eccl. pr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31* & Marcellus Megala *in 1. editione lib. 1. cap. 5. num. 14.* docuerunt non esse denunciandos Inquisitoribus Confessarios sollicitantes ad Venerem si aliquo modo de tali delicto non fuerint diffamati.

2. Sed hæc opinio destruit constitutiones Pontificias, & tollit praxim, ideo contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto. Unde merito Megala *in 2. editione, in apostilla marginali* mutavit sententiam, & adversus Fagundez ex eadem Societate novissimè insurgit Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 3.* cui ego addo Emanuele de Moura *opus. 1. de Enfal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 11.* Acugnati *tract. de Confess. sollicit. 9. 4. num. 4.* Soula de *Confess. sollicit. tract. 3. cap. 21. n. 2. seq. Portel. in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare, num. 11. & 20.* Peitinus *in privileg. Minim. tom. 2. Constit. 4. Greg. XV. s. 3. num. 3.* & Sanctarellum *tract. de hæres. cap. 44. dub. unum. 8.* quia sicuti in crimine hæresis potest fieri inquisitio, licet contra reum nulla præcedat diffamatio, ut docet Simancha *in Cathol. instit. tit. 43. num. 7. & seq. Rolandus à Valle lib. 3. conf. 8. num. 6.* Pegna *in Direct. Inquis. par. 3. comment. 16.* Scaccia de *iudiciis, in causa, & c. lib. 5. cap. 59. num. 10.* Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap. 9. num. 9.* Rojas *singul. 3. n. 22.* & alij. Ita igitur in hoc crimine sollicitationis in confessione potest fieri inquisitio, quamvis non præcedat infamia, quod clarè apparet ex verbis constitutionis Pontificiæ, ibi, *diligenter inquiras & juxta facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.*

3. Ad illa verò verba, *quomodolibet diffamatos*, quæ adversarii adducunt, respondeo non ob stare, quia, ut observat Acugna & Moura, illa particula *quomodolibet*, significat non necessariò requiri ut præcedat vera infamia, sed sufficere qualemcumque infamiam, ut constat ex *cap. statutum, §. in nulla, de rescript. in 6. & ex cap. indemnitate, §. sent. de elect. etiam in 6.* Igitur supradicta verba non exigunt infamiam simpliciter, sed eam, quæ quocumque modo talis dici queat, dicit enim *quomodolibet*, dicitur autem diffamatus aliquo modo, qui jam non habet integram & illatam famam, sed laceratam per notitiam, præsertim foeminarum, in qua est in proximo publicitatis periculo; vide etiam Freitas *in novis, addit. de Confess. sollicit. 9. 4. n. 62.* & DD. citatos.

Quæ omnes res. ad hæc tract. sunt conductæ.

sup. hoc in ia tr. 10. ref. 29. & 30.